



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Iacobi Bidermani E Soc. Iesv Ignativs Sive De Vita Et
Gloria S. Ignatii Loiolæ Soc. Iesv Conditoris Libri Tres**

Bidermann, Jakob

Antuerpiae, 1635

Mutatio repentina. Cap. II.

urn:nbn:de:bvb:12-bsb10788217-5

IGNATII *repentina mutatio.*

CAP. II.

5. **I**BI cum per diu in morbo cubaret, re ad summum vitæ discrimen adductâ, insperatò propitium habuit Numen. Ipso enim Apostolorum principum peruigilio, beatus ad illum Petrus ad spectabili ore inuisit; ac velut medicâ manu ægritudinem deterfisset, iam fugientem è corpore animam retinere, morbiq̃ue crescentis pertinaciam flectere incepit. Coluerat quippe hunc IGNATIVS principe studio, tutelamq̃ue sibi prouidus adoptarat. Nec diutius factum, & æger ab eo dein ad spectu conualescit.

6. Ceterum quâ erat elegantia Iuuenis, cum aduerteret, clauum infra genu, malè coaliti ossis vestigium, eminere; eamq̃ue rem impediendo ocrearum decori esse, nihil cunctatus, iussit, quidquid eius emineret, ad viuum rescari. Id si fieret,

fieret, cum graui vulnere pares erant cruciatus exspectandi. Inter quos ille vniuersos ita durauit, vt, nobilitate Spartanâ, ne gemitum quidem ederet, orisve hilaritatem colore mutaret. Sed necesse tamen habuit, donec rediuuium vulnus in cicatricem alteram coiret, lectulo hæerere.

7. Ibi fallendi temporis, libellos institit petere, quorum lectione pridem insuesset: eos nimirum, qui Heroum Equestria, & hoc genus profana ludicra commentis inani- bus fucarent. Verùm opportunè est factum, vt, cum per id tempus hæ fabularum illecebræ domi nusquam essent, earum vicem duo melioris argumenti codices ægro ferrentur: altero vita resq; à Christo Domino gestæ, altero, ab cælitibus reliquis facta facinora perscribebantur. Hos ille versare primum otiosus aggreditur; post ipsa ea lectio in voluptatem vertit, cœpitque animus affici paullatim ac delectari; demum consilium cap-
pit,

pit, olim reipsâ, quæ tunc legisset, imitari.

8. Enimuerò hîc se ipse continuo aduersarium habere; multa, cur incepto desisteret, occurrere, iam inolita per vitæ licentiam consuetudo; iam eius, quod porrò moliebatur, difficultas, & mille talia sollicitabant. Sed nimirum cælestia præpotuere, & breuî aduersus illam cogitationum intemperiem debellatum est. Accidit fortè vt noctu, quòd ita iam eius consuetudo ferebat, cubitu surgeret, & in genua deiectus, preces Parenti VIRGINI litaret, cuius tum icona coràm spectabat. Hîc ingentis desiderij plenus, Virginem Virginis-que Filium adoritur: id vnum adnixus, vt apud eum sibi ducem sacramento dicere liceret. Quippe mortalia prorsus abdicare, vni-que illi auctoratus æternum mancipari iam cupiebat. Habuere momentum eæ preces. Continuo ædes claris fragoribus exsonare, & cubiculum adeò cœpit impatienter tremere,

mere, vt eo motu vitrea quædam fenestra se ruperit.

9. At loci tremor is, non I G N A T I I fuit; quem cetera erectiorem, vnus hic etiamnum metus angebat, qui pudicitiam de reliquo ab hostium insidijs tueretur. Talibus curis anxium non destituere oculi cælestes: & magna Virginum Regina pro I G N A T I O, in hanc formidinem pugnatura, prodijt, cum vigilantibus illi se suumque in complexu Filium cõspicuos dedit. Quo spectaculo repente mutatus, in promptu habuit, omnem porro voluptatem constanter repudiare, atque ab eo die, donec obiit, vitam castè næuiq; immunem traducere.

10. Iam idem illac tenus exarserat, vt non contentus paruo, rationes iniret, vbi locorum de cetero, atque inter quos degere, consultissimum foret: certus, assiduis corpus supplicijs lentè conficere, & Numini præter ceteros egregiè seruitutem seruire. Diu deliberatum est: cum I G N A T I V S, quò
qui-

quidem iret nondum inuento, reperit vnde saltem abiret. Nam ante omnia, placuit patriâ excedere, ætatemque reliquam ab necessarijs procul habere. Ita rebus maturè prouisis, constituit profectio- ni diem. Potuit ea molitio subole- re sagacibus, certè fratrem natu maiorem in tempore aduertit: qui turbare consilium aliquamdiu co- natus, minus nihilo profecit. Nec porrò, vt decretum IGNATIO vi- dit, odiosus esse, aut intercedere au- sus, hominem duobus famulis co- mitatum, ab se amittit. Hic ille Ducem Naiaræum, cognati fan- guinis principem, quem interui- feret, caussatus, ad montem SER- RATVM intendit; celebri famâ locum, & religione veteri insi- gnem. Haud longè prouectus, ser- uitijs duobus modestè se abdicat, cum prius rerum, quas adhuc de veteri fortunâ sibi reliquas fecerat, partem ijs non parcè erogasset.

II. Inde perpetuò solus esse, atque toto itinere nullam adeò noctem

noctem agere, quâ in se ipse flagris non animaduerneret. Idque iam tum salubriter instituit, quod postmodò sibi suisque æternum esset, *Omnia, quaque facere, quaque ferre contingeret, ea in vnius Numinis MAIOREM GLORIAM reducere.* Interim dum pergit secum assiduè reputare, quibus eximijs studijs Numen sibi demereretur; subit vota suscipere, & suam corporis animique castitatem CHRISTO MATRIQUE Virgini consecrare. Quod decretum felici postmodum æternaque constantiâ signauit. Igitur vt proximè eum montem, de quo demonstrauius, abfuit, vestimentum alicunde sibi coëmit, rudi opere illud, maleque sartum, quò pristinum corporis ornatum emutaret. Id erat omne, talaris pro tunica cento, spartei pedum calcei, tum in baltheum funis, & haustum de veteri cucurbitâ: paupertina supellex, ac profectio, quam viator in Palæstinam moliebatur, idonea.

12. Vix etiamdum illo in mente constiterat, cum inter primas adeo curas, coepit de quaerendo Medico circumspicere, cui omnes animi sui plagas nudaret, quemque super ferijs rebus consulere tuto posset. Et vsu forte venit, ut in Ioannem Clanonem incideret, patriam Gallum, virum religione ac cetera virtute singularem. Apud quem tridui spatio omnem priorem vitam, inter gemitus, veri doloris testes, pensulatè recognouit. Eumque ille, ad id locorum, primum atque vnicum habuit, cui consilia, quae secum agitarat, detecta vellet.

13. Effectis deinde quae oportuit, ac propediem discessurus, donum coenobio equum relinquit; in templo telum ac pugionem, emeritae militiae symbola, ante VIRGINIS aram suspendit dedicatque, alijs exinde armis vsurus. Post, appetente noctis crepusculo, remotis arbitris commodè abit, vilemque per compita mendiculum quaerit; reperto, clam, quid fieri
 B velit,

velit, ostendit. Inter hæc suis se vestibus IGNATIVS exiit, omniaque ad ipsam interulam homuncioni attonito relinquit. Illorum vicem, pingui lacernâ, quam eam in rem nuper coëmerat, ante diem octauum Kalendas Apriles induitur. Hac metamorphosi mirè quàm lætus, illicò ad templum festinat recurrere, atque totam deinde noctem pro Arâ VIRGINIS excubare, in morem veterem peruigilio initiandus. Ibi erectus modò pedibus insistere, modò supplex genibus niti; & largis oculorum imbribus madens, in VIRGINIS fidem clientelamque se dedere. Ne quâ verò agnoscat, gloriæ fugiens, summâ luce maturat proficisci.

IGNATII *pœnitentia Manresa.*

CAP. III.

14. **O**PPIDVM est in Illergetibus Manresa, aliquot passuum millia à monte locus, cuius ijs qui Barcinonem petant: illuc ire insti-